


Dissertatio Qva Demonstratvr Hominem Integrvm, Qvi Progreditvr Ad Statvm Confirmationis In Bono, Nobiliorem Esse Ac Perfectiorem Creatvram Bonis Angelis

Jenae: Schill, 1752

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn829330666>

Druck Freier  Zugang






383

a. B.
48. b. 8.


16.

Fa - 1092 (16.)

2. 29
3. 23
4. 22
5. 27
6. 2
7. 11
8. 1
9. 15
10. 14
11. 13



2. 29
3. 23
4. 22
5. 27
6. 2
7. 11
8. 15
9. 14
10. 13



D I S S E R T A T I O

^{QVA}
D E M O N S T R A T V R

HOMINEM INTEGRVM, QVI
PROGREDITVR AD STATVM CONFIR-
MATIONIS IN BONO, NOBILIOREM
ESSE AC PERFECTIOREM CRE-
ATVRAM BONIS ANGELIS.

^{QVAM}

DEO CLEMENTER ADVENTE
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
D O M I N O

ERNESTO AVGVSTO
CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE RELIQA

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOS. ORDINE
PRAESIDE

CHRISTIANO FRIDERICO POLZIO
PHILOSOPHIAE MAGISTRO


PVBlice DEFENDET
ILLIVS AVCTOR

IOANN. CHRISTIANVS GVILIELM. MEYER
ENGTERA OSNABRVGENSIS
S. S. THEOL. CVLTOR.

DIE VIII. APRILIS MDCCLII.

I E N A E LITTERIS SCHILLIANIS. (3-)

2. 29
3. 23
4. 22
5. 27
6. 2
9.
15.
14.
13.



6.

2.

27

3.

23

4.

22

5.

27

6.

2

11

9

15

14

13

V I R O

MAGNIFICO EXCELLENTISSIMO

ATQVE DOCTISSIMO

IOANNI PETRI

REVSCH

PRORECTORI H. T. ACADEMIAE IENEN-

SIS LOGICES ET METAPHYSICES PRO-

FESSORI PVBLICO ORDINARIO CIVIVM

IN HAC ACADEMIA VINARIENSIVM ET

ISENACENSIVM INSPECTORI SOCIETA-

TISQVE, QVAE HIC FLORET, TEV-

TONICAE DIRECTORI

NEC NON
V I R O
MAGNIFICO SUMME VENERABILI
ATQVE DOCTISSIMO
G O D O F R E D O
S C H W A R T Z

SACROSANCTAE THEOLOGIAE DOCTORI
ET PROFESSORI PRIMARIO IN ACADE-
MIA, QVAE RINTELLI FLORET, COMITA-
TVS HASSO - SCHAVENBURGICI SVPE-
RINTENDENTI ET CONSISTO-
RII ECCLESIASTICI
ASSESSORI

VIRIS
 ERVDITIONIS ET MERITORVM IN SACRAM
 ET LITTERARIAM OMNI SPLENDORE
 CELEBRATISSIMIS
 PRAECEPTORIBVS SVIS PEREXIMIS
 PATRONIS ATQVE FAVTORIBVS AD VRNAM
 VSQVE, SVMMA PIETATE
 DEVENERANDIS
 HASCE
 QVALESCVNQVE STVDIORVM SVORVM
 PRIMITIAS

2. 27
 3. 23
 4. 22
 5. 27
 6. 2
 11
 9/
 15.
 14.
 14.
 13.

IN
SEMPITERNAE VENERATIONIS GRATISSI-
MIQUE ANIMI MONUMENTVM
CVM
ARDENTISSIMO OMNIGENAE PROSPERITA-
TIS ET INCOLVMITATIS VOTO

DEVOTA MANU CONSECRAT

AUCTOR

IOANNES CHRIST. GVIL. MEYER.



2. 27
3. 23
4. 22
5. 2 27
6. 2
9.
15.
14.
13.

PRAEFATIO.



Sententia, L. B., quam defendendam mihi sumsi, plus nouitatis, quam difficultatis habere mihi videtur. Licet natura nouitate commouetur, teste *Cicerone*, nosque ea delectemur; caue tamen credas, solam nouitatem me ad eam pertractandam excitasse. Arrogantis potius, quam verae atque certae cognitionis cupidi animi esse arbitror, ex philosophia locos graues tractare, qui ab usu communi abhorrent, sine veritatis et argumentorum cura, delectu atque discrimine. Valde mihi, fateor, arridebat huius sententiae nouitas, cum primum eam per occasionem adductam legerem in Introductione in Theologiam reuelatam *Viri Magnifici Pro-Rectoris* IO. PETR. REVSCHII p. 1079, verum simul eius utilitas veritasque placebat, quam, si quid iudicare possum, mihi iam magis euolutam et determinatam demonstrasse videor, quod Tuo aliorumque iudicio relinquo. Quodsi nunc idem, quod *Catonis* aut *Ciceronis* paradoxis accidebat, mihi eueniat, vt nempe haec mea παράδοξα Tibi placerent; impense laetabor, quod hunc laborem non frustra susceperim. Vale.

A

TRA.



TRACTATIO.

§. I.

Plura consentiunt si simul sumta continent rationem sufficientem vnius. Id, quod ex eorum consensu oritur, vocatur *perfectio*. Vnum vero illud, quod per ista plura existens redditur, dicitur *ratio determinans perfectionis, principium consensus*, et et si illud *scopum* aut *finem* adpellare velis, mihi perinde erit.

§. II.

Quo plura igitur sunt principia consensus seu fines, et quo exactius varia cum suis principiiis consensus seu finibus consentiunt; eo maior est entis perfectio (§. 1.) et illa tunc dicitur *composita*, in qua istae regulae perfectionum saepius collidere possunt (per Ont.) Si omnes regulae sibi inuicem repugnant, non ens oritur, et non potest existere (per Ont.)

§. III.

Ad principia consensus in natura animali pertinent 1) *sanitas* partium organicarum corporis 2) illius *vita* et *duratio* 3) *aptitudo sui simile procreandi*. 4) *sensitiuae delectationes* 5) *habitabilitas* 6) *temperamentum*, et sic porro, (per exp.) perfectio igitur naturae animalis est *composita* (§. 2) proinde saepius in ea oriri potest collisio inter regulas suarum perfectionum (§. cit.)

§. IV.

Ad principia consensus seu fines in natura rationali pertinent 1) tanquam *ultimus, felicitas* illius seu *illustratio gloriae diuinae*, qui fines indiuiso nexu connectuntur (per Theol. Nat.) 2) tanquam *intermedii, extensio* et *intensio in cognoscendo*, nec non *rationalitas* in *volendo* et *nolendo* (per Psych. Emp.) perfectio igitur naturae rationalis est *composita* (§. 2.) saepius itaque fieri potest in ea repugnantia inter suarum perfectionum regulas (§. cit.)

Schol.



Schol. 1. Non ignoro, esse nonnullos, qui ore et scriptis negant, deum creasse ad illustrandam seu manifestandam suam gloriam. Miror, quod aduersarii de re magni momenti disputent, quam nullibi definiunt, cum tamen omnes philosophi in eo consentiant, ex distinctis rei notionibus solum in controuersis iudicandum esse, a cuius partibus disceptantium stet veritas. Nos cum plerisque sapientiae doctoribus per *manifestationem gloriae diuinae* intelligimus, adsumptionem perfectionum diuinarum pro motiuis actionum. Si itaque deus creat ad illustrandam suam gloriam, creat, vt creaturae rationales eius perfectiones pro motiuis actionum adsumere, et eo ipso perfectiores se reddere debeant. Ex his patet, minime sequi, deum, dum creat ad illustrandam suam gloriam, creasse ex rationibus subiectiuis. Nam tunc deus scopum suae actionis in eo obiecto ponit, ad quod actio eius dirigitur et non in seipso, quod aduersarii secundum suam notionem concedent, quam sibi formant de illa phrasi: ex rationibus subiectiuis agere, et quae a recepta longe recedit. Deinde si verum est, quod nemo dubitat, nisi ignarus eorum, quae vbiq; leguntur, omnes qui manifestationem gloriae diuinae pro vltimo fine venditant expresse negare, quod deus, cui plane nulla deesset propter infinitatem perfectio, creando suas perfectiones quaesiuisset, proindeque scopum creationis in seipso posuisset; hoc, inquam, si verum est, non video, quibus aduersarii contradicant. Velint, per nos licet, substituere *cultum dei seu religionem*, si manifestatio gloriae diuinae iis tantopere displicet, quae duo, quemadmodum ex scriptis Viri illustris L. B. de WOLFII, b. BILFINGERT, REVSCHII, CANZII, BAUMGARTENII patet, inter se non differunt. Non spero, fore, vt, quibus illustratio gloriae diuinae antea non placuit, iis et post cultus Dei seu religio rationalis creaturae displiceat.

Schol. 2. Quoniam ex scholio praecedente lectori dubium suboriri potest, ad illud nunc respondebo. Si Deus, *inquis*, eo fine creat, vt creaturae rationales per manifestationem seu illustrationem gloriae diuinae se perfectiores reddant, tunc *manifestatio gloriae diuinae non est finis creationis vltimus*. Quid inde totum si concederem argumentum? Hac ratione, *instas*, reuelationi contradiceres, quae Prouerb. XVI, 4. dicit: *omnia fecit Deus propter se ipsum*, et Rom. XI, 36. *omnia ex ipso et per ipsum et in ipso seu ad ipsum sunt*. Scito, me non reuelationi, sed tuae tantum interpretationi, quam falsam esse statim probabo, contradicere. Quod

A 2

prius

2. 29
3. 23
4. 22
5. 2 27
6. 2
9.
15.
14.
13.



prius dictum adinet, verbum פֶּעַר non productionem, sed etiam
 administrationem seu gubernationem significat, quod ex sequentibus lo-
 cis vi parallelismi patet: Deut. XXXII, 27. Pf. VII, 14. Ec. XXVI,
 12. XLIII, 13. Quae cum ita sint antea probari debet, quod Sa-
 lomon magis de creatione, quam gubernatione loquatur. Deinde
 si למענה a radice ענה, quae respondere seu consonare significat,
 deducitur, is oritur sensus: *Deus cuncta ita gubernat ac moderatur,*
vt omnia sibi apta quadam proportione respondeant. Plura de hoc
 loco legi possunt apud Arnoldum Poelenburgium, Ecclesiasten Re-
 monstrantium, in sua disputatione rariori, habita in Academia Lei-
 densi de quinque Articulis controuersis, praedestinatione etc. quae
 Aftelaedami in forma octaua 1658. denuo edita fuit. Quod vero
 posterius dictum adinet, omnes fere interpretes in eo conueniunt,
 vt verba εἰς αὐτὸν τὰ πάντα de causa finali sint intelligenda. Sic haec
 verba Conradus Vorstius, ob rariorem suum Tractatum de Deo sa-
 tis notus, in Commentario suo in hanc epistolam apud infelicem
 Guilielmum Blaeu Amsterdami 1631. impressam, per sequentem pa-
 raphrasin exposuit: *nam ex Deo, tanquam primo auctore, omnia*
sunt: et per eundem, velut tutorem et conseruatorem, omnia susten-
tantur: demique in ipsum, tanquam vltimum scopum, omnia con-
sentunt. Cum eo consentit, magnus ille diuinae orationis inter-
 pres, vir summe venerabilis D. Sigmundus Iacobus Baumgartenius
 in suo incomparabili Commentario Halae 1749. edito. Ipsi-
 us verba transcribam: *alles ist aus oder von ihm, als dem Urheber: und*
durch ihn, als die wirkende Ursache: und zu ihm, oder auf ihn, als
die höchste Endursach, den letzten Endzweck, und das endliche Ziel als
ler seiner Handlungen gerichtet. Nolo iam vrgere contra hanc inter-
 pretationem, quam ambigua sit particula εἰς apud graecos, ex qua
 iam possibilitas alius interpretationis satis elucet: nolo vrgere, nul-
 libi probatum fuisse, quod per contextum sola significatio *causae*
finalis, et quidem, quod maxime notandum, *ultimae*, locum ha-
 beat. Sed ex hac interpretatione conclusionem infero, quam an-
 tea laudati interpretes, alter eorum si viueret, mihi vix concedent.
 Si Paullus per verba εἰς αὐτὸν τὰ πάντα intellexisset, *scopum vltimum*
omnium actionum suarum, adeoque creationis, non esse nisi Deum
ipsum, sequeretur, vt Deus per creationem aut perfectiones suas
quaesiuisset, aut frustra egisset: posterius pugnat cum sapientia,
prius cum sufficientia et infinitate eius. Respondet Per. van Ma-
 stricht in sua *Theologia theoretico-practica* ad obiectionem contra
 suffi-



sufficientiam Dei ex locis superioribus desumptam ita: *non creavit, ut a creatis perficeretur; sed ut perficeret, suamque perfectionem quasi (sic interpretor litteram q.) profunderet, quae recepta agnosceretur ac celebraretur a recipientibus.* Apertius dicam, quid de hac responsione Viri, alias inter Reformatos magni, sentiam. Concedit interpretationem oraculorum diuinorum esse veram, concedit modum concludendi in argumentis obiectis esse legitimum, attamen negat conclusionem. Etenim negat, quod Deus creasset propter seipsum. Valde dubito, quin vllus, accuratioribus Logices regulis imbutus, hanc responsionem probauerit.

§. V.

Sine coëxistentia aliarum rerum animatarum tum inanimatarum, cum rationalium, quam irrationalium, et imperio naturali in eas nulla perfectio neque naturae animalis neque rationalis finitae potest vel obtineri, vel conseruari, vel augeri (per exp.) hinc quo plures sint vtriusque naturae perfectiones seu fines; eo plura vtraque natura coëxistentia, tanquam media suarum perfectionum, requirit.


Schol. Ex his patet propositionis veritas, quae in Cosmologia demonstratur: *nexum simultaneorum, qua talium, esse per rationes finales seu nexus, ne Atheus nobis excipiat, vsuum.* Si itaque quispiam *rebus sibi coëxistentibus* eo, quo debet, fine vitur, *iis bene vitur*; sin autem alio, ac par est, *iis abutitur.* Porro sic ratio reddi potest, cur homo debuerit vltimum in successione esse opus, quod Deus creando produxit.

§. VI.

Homo constat ex natura animali et rationali (per exp.) per consequens sine coëxistentia rerum antea dictarum non potest perfectiones suo fini conuenientes nancisci (§. 5.) eius perfectio est composita (§. 3. et 4.) multa habet principia consensus seu fines particulares (§. 2.) proinde saepius regulae harum perfectionum collidere possunt. (§. cit.)

§. VII.

Homo igitur omnia obiecta externa, quae sibi coëxistunt, considerare debet tanquam media, quibus vtraque sua natu-





ra perfectior reddi potest (§. 6.) per consequens externa obiecta referre debet ad se tanquam media vel augendae vis motricis ac inertiae vel conseruandae vitae ac sanitatis in qualibet parte naturae animalis vel percipiendarum ex iis sensationum iucundarum, vel augendae in natura rationali tam intensiōnis, quam extensiōnis (§. 3. et 4.)

Schol. Ex hoc fine rerum hominibus coëxistentium 1) melius, vt mihi videtur, potest iudicari de praestantia status externi in hominibus, quam vulgo fieri adsolet: 2) Facilius necessitas speciatim amoris erga inimicos, generatim officiorum erga alios in philosophia morali demonstrari potest, quam ex obligatione seipsum perficiendi. Etenim si alter mihi eo fine coëxistit, vt ego per eum perfectior reddar, is iterum me eadem ratione considerare debet et licet hic negligat finem coëxistentiae; attamen manet mea obligatio eum perficiendi: 3) accurate nunc abusus rerum coëxistentium in rationali creatura ab earum vsu legitimo discerni, et ratio reddi potest non solum cur dentur temperamenta hominum, verum etiam in lapsis idola temperamentorum.

§. VIII.

Homo integer dicitur, qui, omnibus ad non-peccandum perfectionibus instructus, nondum peccauit: *in bono* autem *confirmatus* vocatur *homo*, qui, positus sub certis conditionibus, non potest peccare. Homo itaque integer, qui progreditur ad statum confirmationis, actu non peccat.

Schol. Si quis de possibilitate harum notionum dubitaret, eum remitto ad Metaphysicam Viri Magnifici *Pro-Rectoris* REVSCHIL, Patroni atque Praeceptoris mei ad cineres vsque deuenerandi, §. 1024.

§. IX.

In homine igitur integro, qui ad statum confirmationis in bono progreditur, multa dantur principia consensus, et exacta conuenientia variorum cum hisce principiis (§. 6. et 8.)

§. X.



§. X.

Præter hominem aliae existunt creaturae rationales, quae in scriptura sacra *angeli* vocantur, qui vel *boni* vel *mali* esse dicuntur (per Theol. Reu.).

§. XI.

Angelos naturam rationalem habere ex reuelatione est certissimum, num vero, præter eam, alia iis conueniat, nobis, solam reuelationem sequentibus, non constat (per Theol. Reu.).

Schol. Cum plerique recentiorum philosophorum *Canzius* nimirum in ciuitate Dei p. 723. et *Carol. Frider. Goede* in demonstrationibus philosophicis de existentia angelicorum corporum, angelis proprium suum corpus tribuant; non statim contradicunt reuelationi. Nam ex silentio huius de existentia corporum angelicorum ad neganda illa non potest tuto concludi. Legimus equidem de angelis in scriptura sacra dici, quod carne et ossibus careant, sed ex hac negatione tantum inferri potest, eos non habere tale corpus, quale est hominum atque brutorum, scilicet animale. Sufficit itaque nobis ad probandam nostram sententiam, corpora angelorum ab hominum atque brutorum corporibus valde differre nec generationi, neque vegetationi, neque corruptioni esse obnoxia. Videant nunc rigidiores isti censores, quo iure veteres accusent, eos non recte definiuisse hominem per animal rationale, quia etiam angelis corpus conueniret.

§. XII.

Corpus angelorum longe differt a corporibus hominum, nec generationi, nec vegetationi est obnoxium (§. 10 Schol.) hinc in eo non tot sunt varia, neque tot principia consensus, quot in natura hominis animali reperiuntur (§. 6.) nec necesse est, vt angelo tot entia coëxistant, quot hominibus (§. 5.)

§. XIII.

Cum ex coëxistentia rerum externarum temperamentum, et ex abusu illarum idola temperamentorum oriantur (§. 7.)



(§. 7. Schol.) sequitur, vt *angeli temperamenta* habeant, et apud eosdem idola temperamentorum dari possint.

Schol. Vix fieri potest, vt angelus per obiecta externa, mediante corpore, ita delectentur, quemadmodum homines. Nulla apud eos delectatio per gustum, per auditum, per visum, per olfactum, instar hominum, locum habere potest. Non esuriunt, non sitiunt, non algent, non sudant, non stimulat eos natura ad procreandum sui simile. Quomodo igitur iis potus, cibus, calor, venus, et etesiae voluptatem creare possunt? num alia ratione rebus coëxistentibus abuti possint, quam per imperium, quod in reliquis creaturas adfectant, seu ambitionem?

§. XIV.

Homo, qua naturam animale, habet longe plura principia consensu, quam angelus (§. 12.) in homine, quatenus est integer et ad statum confirmationis in bono progreditur, varia cum principiis consensu exacte conueniunt (§. 9.) homo igitur quatenus est integer et ad statum confirmationis in bono progreditur, perfectior est creatura angelis bonis (§. 2.)

§. XV.

Motiuum est ea cogitatio, qua ens intelligens suam facultatem adpetitiuam superiorem potest determinare. *Motiuæ actionis contrariæ* vocantur, quæ ad opposita actionis eligendæ ens intelligens determinare possunt.

§. XVI.

Quo maior est collisio regularum perfectionum in ente intelligente, quo maior est imperium coëxistentium, quæ ad suas vtilitates referre potest, hinc quo maius est dominium in res coëxistentes, quo plura eligibilia sibi inuicem pugnantia adsunt; eo plura habet ens intelligens motiuæ actionum suarum contraria. (§. præc. §. 5. et 2.)

§. XVII.

Omne bonum minus in collisione cum maiori est bonum



2. 27
 3. 23
 4. 22
 5. 22
 6. 2
 7. 11
 8. 9
 9. 15
 10. 14
 11. 13

num adparens (per Phil. Mor.) per consequens quo plures regulae perfectionum in ente intelligente sibi inuicem repugnare possunt; eo plura illud habet bona adparentia (§. 16.).

§. XVIII.

Regulae, secundum quas actiones suas creatura rationalis dirigere debet, sunt sequentes: fac, vt velis ea, quae naturam tuam perfectiorem reddunt: fac, vt nolis ea, quae eam imperfectiorem reddunt: fac, vt velis bona maiora naturae tuae in collisione cum minoribus, et mala minora naturae tuae, quando cum maioribus pugnant (per Phil. Mor.).

§. XIX.

Habitus regulis, quae determinant perfectiones in natura agentis, ex motiuis semper conformiter agendi dicitur *virtus*. Gradus igitur virtutum a diuersitate tam habitus, quam motiuorum dependet.

Schol. 1) Scias velim a) me *motiua* stimulis opponere, ne definitio nostra actionibus brutorum adplicetur, de quibus virtus proprie sic dicta nunquam praedicatur: β) non sine causa fat graui me ad virtutem requirere, vt virtuti deditus agat ex *motiuis*. Et enim *gradus virtutum*, addito hoc caractere, non solum longe facilius eoque melius perspici possunt, verum etiam cadit *error*, quasi ad virtutem conuenientia actionis cum lege sufficiat. Dic, quae so, potestne senex, qui voluptates ex necessitate naturae potius, quam ex motiuis contemnit, esse virtuosus? ane avarus, qui plus temperamento, quam motiuis impulsus abhorret ab omni effusione pecuniarum, mereatur virtutis laudem?

Schol. 2. Ab hac definitione valde discrepat ea, quam nouus quidam scriptor celeberrimus in sua philosophia morali de *virtute* dedit. Die Tugend, ita definit, ist eine innere Stärke in der Kraft unseres Geistes, wodurch er mehr gegen die Ausübung des Guten, als gegen die Ausübung des Bösen geneigt ist. Spero, fore, vt non grauate ferat, si eam modestia, qua decet, examinem, et libertate, qua quiuus sapientiae studiosus in regno eruditorum pollet. Mit tam istam locutionem: die innere Stärke der Kraft unseres Geistes, quae explicatione indiget, per quam forsitan celeberrimus auctor
B nihil



nihil aliud intelligit, quam id, quod vocant alii habitum. At reliqua maioribus sunt exposita dubiis. Nam *primo* omnis locutio comparatiua infert characteres relatiuos, qui vero a definitionibus obiectorum absolutorum, vt ipse praecipit, abesse debent: *deinde* si haec definitio adplicans, tanquam comparatiua, considerari debet, ea aut proprie, aut improprie, aut impropriissime sic dicta, iuxta regulas logicorum, dicenda erit. Si est proprie sic dicta, tunc ex expositione illius haec simplex propositio prouenit: *virtuosus pronus est ad exercendum malum*, quae vero contradicit alii propositioni cel. auctoris, quippe qui negat, hominem, qui habet pronitatem ad peccandum, seu vitiis qui est deditus, esse virtuosum. Si est improprie sic dicta, tunc continet hanc simplicem negatiuam: *virtuosus non est pronus ad exercendum malum*, quid, quaeso, hoc praedicato negatiuo opus erat in definitione? Si est impropriissime sic dicta, tunc virtuosus neque pronitas ad exercendum malum, neque pronitas ad exercendum bonum conuenire debet, quod posterius est contra conceptum virtutis.

§. XX.

Occasio peccandi est occasio regulis, quae perfectiones naturae agentis determinant, contrarie agendi.

§. XXI.

Quo plura igitur motiua actionis contraria, quo maius est imperium naturale in res coëxistentes; eo maior est occasio peccandi (§. 20. et §. 16.).

§. XXII.

Quo maior itaque est habitus in virtute, quo plura, quo grauiora motiua virtutis, quo plura motiua virtutis contraria superanda, et quo maior fuit occasio peccandi; eo maior est in creatura rationali virtus (§. 19. 21.) eoque perfectior illius voluntas (per Psych. Emp.).

§. XXIII.

Ex maiori gradu habitus oritur *constantia virtutis*: ex pluralitate aut grauitate motiuorum *vehementia volitionum* seu *ardor*: ex frequentiori occasione peccandi, *continentia* seu *abstinentia*



continentia: ex pluralitate motiuorum virtuti contrariorum *robur virtutis*, liceat nobis doctrinae gratia ita loqui. Quo maior itaque est constantia virtutis in ente intelligente, quo maior in eo ardor virtutis, quo maior illius continentia, quo maior virtutis robur; eo maiorem gradum virtutis rationalis creatura habet (§. 22.).

§. XXIV.

Quo plura habet creatura rationalis motiua actionis contraria; eo maiora bona adparentia sunt superanda (§. 17.) et quo minus in auersandis iis peccat; eo maior ei gradus virtutis inest (§. 22.) licet minor gradus ardoris sit (§. 23.).

§. XXV.

Felicitas ac beatitudo creaturae rationalis necessario cum virtute coniunctae sunt (per Phil. Mor.), quo quis igitur maiorem habet gradum virtutis; eo erit felicior atque beator.

§. XXVI.

Finis vltimus creaturae rationalis est felicitas (§. 4.), quo felicior igitur ea est, eo maior est in illa consensus (§. 2.), per consequens perfectio (§. 2.).

§. XXVII.

Si in homine integro, qui progreditur ad statum confirmationis in bono, perfectiones naturae animalis et rationalis omnes inter se colliderent, homo integer, qui progreditur ad statum confirmationis in bono, esset non-ens (§. 2.) adeoque non posset existere (§. 2.).

§. XXVIII.

Homo integer, qui ad statum confirmationis in bono progreditur, potu et cibo vtitur, ad sui simile procreandum est destinatus, multae res tam corporeae, quam simplices, tam rationales, quam irrationales ei coexistunt, illi datum est imperium



perium in omnes has res sibi coëxistentes (per Theol. Reu.), hinc perfectiones naturae animalis fini vltimo creaturarum rationalium non possunt repugnare (§. 3. 4. 5.), potest igitur esse consensus inter naturam animale[m] et rationale[m] (§. 1.), proindeque in eo adest pluralitas motiuorum ad quaerendam felicitatem, adeoque magnus in bono ardor (§. 23.).

§. XXIX.

Angelus bonus non indiget cibo et potu, non est destinatus ad sui simile procreandum, non habuit imperium in simultanea huius terrae, cuius primus incola fuit Adamus (per Theol. Reu.) hinc pluribus caret animalis scilicet naturae stimulis ad quaerendam felicitatem, quibus homo integer, qui progreditur ad statum confirmationis in bono, pollet (§. 28.) minorem ergo gradum ardoris in bono hoc respectu is habet, quam homo, quem antea descripsi (§. cit.).

§. XXX.

Bonae actiones dicuntur actiones, quae cum regulis perfectionum in creatura rationali conueniunt, per consequens bonae actiones in exercitio virtutis consistunt (§. 19.)

§. XXXI.

Sanctitas est habitus exercendi bonas actiones. Cum vero bonae actiones in exercitio virtutis consistunt (§. 30.) sequitur, vt sanctitas etiam in exercitio virtutis consistat.

§. XXXII.

Quo maius itaque erit exercitium bonarum actionum, adeoque quo maius erit exercitium virtutis; eo maior in creatura rationali erit sanctimonia (§. 31.)

§. XXXIII.

Cum autem felicitas cum exercitio virtutis in creatura rationali necessario sit coniuncta (§. 25.), eo maior erit felicitas illius, quo maior in ea est sanctimonia (§. 32.) eoque maior illius perfectio (§. 2.).

§. XXXIV.



§. XXXIV.

Homo integer, qui progreditur ad statum confirmationis in bono, maiorem habet gradum ardoris in bono, quam angelus (§. 29.) maiorem ergo habet sanctitatem, quam angelus (§. 32.).

§. XXXV.

Homo, qua integer, satis est instructus ad non-peccandum (§. 7.) potest igitur, licet alterum tantum motiuorum actionum contrariorum, occasioque peccandi, quantumvis magna, ponatur, non peccare (§. 7) magnum potest habere gradum virtutis (§. 23.), quatenus vero progreditur ad statum confirmationis in bono, eatenus in prioribus casibus actu non peccat (§. 7.), actu ergo magnum habet gradum virtutis, (§. 23.).

§. XXXVI.

In angelo bono non tot colliduntur regulae perfectionum, quot in homine integro, qui progreditur ad statum confirmationis (§. 11. 3.), non tot motiua actionum bonarum contraria ei sunt superanda (§. 16.) non habet tot bona adparentia (§. 17.) occasio peccandi in eo non est tam frequens (§. 21.) non habet tantam sanctimoniam (§. 31.), *hinc quantitate virtutis minor est hominibus, quos antea descripsi* (§. 22.).

§. XXXVII.

Homo integer, qui progreditur ad statum confirmationis in bono maiorem gradum virtutis habet, quam angelus bonus (§. 36.) *per consequens is perfectior nobiliorque est creatura bonis angelis respectu voluntatis* (§. 22.).

§. XXXVIII.

Eligere est ex pluribus vnum magis adpetere, quam reliqua, propter maiorem gradum bonitatis. Si eligibili, quod creatura rationalis magis ex pluribus adpetit, maior ille gradus bonitatis inest, tunc *bene eligit*, eoque ipso libertate sua bene utitur (per Psych. Emp.): sin minus, *male eligit*, eoque ipso sua libertate abutitur (per Psych. Emp.).



Schol. Malum minus in collisione cum maiori est bonum (per Phil. Mor.) malum minus ergo maiorem habet gradum bonitatis, quam malum maius. Non itaque potest nobis obiici, definitionem nostram suo definito esse latiore, quoniam ex pluribus malis saepius vnum est eligendum, quod vero nullum haberet gradum bonitatis.

§. XXXIX.

Exceptio a regula vocatur determinatio regulae cuidam contraria propter collisionem. Quando igitur creaturae rationali exceptio a regulis suarum perfectionum facienda est, tunc debet eligere (§. 38.).

§. XL.

Exceptiones, quae fiunt regulis perfectionum (§. 18.) in creatura rationali conuenienter, sunt *legitimae*, eoque casu creatura rationalis bene eligit (§. 38.) adeoque non abutitur sua libertate (§. cit.)

§. XLI.

Sapientia creaturae rationalis diiudicanda venit 1) ex finibus 2) ex mediis 3) ex eorum vfu, seu ex subordinatione finium particularium cum vltimo (per Psych. Rat.) omnis ergo sapientia requirit electionem (§. 38.).

§. XLII.

Quo plures fines, quo plura media inter se pugnant, quo minus rationalis creatura in electione finium, mediorum, et in subordinatione finium particularium cum vltimo peccat; eo est illa sapientior. (§. 41.).

§. XLIII.

In natura animali et rationali hominis saepius regulae perfectionum sibi mutuo repugnant (per exp.) per consequens homini saepius exceptio est facienda (§. 39.) et sapientia exercenda (§. 42.).

§. XLIV.



§. XLIV.

Angelorum bonorum corpora, si qua dantur, differunt a corporibus hominum atque brutorum (§. 10. Schol.) et ea quidem ratione, ut in angelo bono regulae perfectionum non possunt tam saepius sibi mutuo repugnare, quam in homine (§. 3.) non igitur est necesse, ut tam saepius, quam homines, exceptiones a regulis perfectionum faciat (§. 39.) *nec iis tanto gradu sapientia est exercenda, quanto gradu homines integros, si ad confirmationis statum progredi velint, eam exercere oportet.* (§. 42.).

§. XLV.

Homo integer, qui progreditur ad statum confirmationis in bono, longe saepius exceptionem facere debet a regulis perfectionum, quam angelus (§. 44.), is, quatenus est integer, potest in electione finium, mediorum et in horum subordinatione cum fine ultimo non peccare (§. 7.) quatenus progreditur ad statum confirmationis in iis actu non peccat (§. cit.), per consequens *maiolem gradum sapientiae et potest habere et actu habet, quam angelus bonus* (§. 42.).

§. XLVI.

Homo integer, qui progreditur ad statum confirmationis, maiorem gradum sapientiae potest habere, quam angelus bonus (§. 45.) Possibilitas aliquid agendi dicitur *facultas* (per def.) homo igitur integer, qui progreditur ad statum confirmationis, maiores habet facultates, quam angelus bonus, adeoque *hoc respectu etiam est perfectior, quam angelus bonus* (§. 2.).

§. XLVII.

Sapientiae exercitium multos et magnos habitus facultatis cognoscitivae requirit (per Psych. Rat. et §. 41.). Homo integer, qui progreditur ad statum confirmationis in bono, maiorem gradum sapientiae habet, quam angelus bonus (§. 45.) per consequens plures et maiores habitus facultatis cognoscitivae eum habere oportet, quam angelus bonus.

§. XLVIII.



§. XLVIII.

Spiritus, qui perfectior est intellectu et voluntate, quam alius; is eo est perfectior (per Psych. Rat.), homo integer, qui progreditur ad statum confirmationis in bono, perfectior est angelo bono, respectu facultatis cognoscitivae (§. 47.) respectu voluntatis (§. 37.) per consequens *eiusmodi homo perfectior est spiritus bonis angelis.*

Schol. Si temporis angustia, quae ad conscribendam hanc dissertationem mihi data fuit, illud permetteret, in loca nonnulla reuelationis, et Theologiae dogmata excurrerem, multaque ibidem ex antea demonstratis illustrarem. Sed ne in eo tantum gloriari videar, pauca attingam. *Primum* satis notum est, quanta inter interpretes sit dissensio de interpretando nomine vetitae arboris. A Mose voratur *עץ הדעת טוב ורע*, arbor scientiae boni vel mali Gen. II, 17. *Onkelos, Targum Hierosol.*, et *Iosephus Antiq. Lib. I. c. 2.* in ea fuerunt opinione, ut putauerint, huic arbori insitam fuisse virtutem physicam augendi excitandi et consummandi sapientiam hominum. Sed sapientiae studium multos et magnos requirit habitus (§. 47.) omnis habitus, tam corporis, quam animae, acquiritur per crebriorem exercitationem (per Ont.) falsum igitur esse debet, quod per escam quandam homo has promptitudines agendi excitare possit. Sed aliae adhuc sunt rationes, quae ad reiiciendam hanc Iosephi ac reliquorum sententiam me mouent. Etenim Deus creauit hominem, ut felix sit atque beatus (§. 4.), nexus simultaneorum, qua talium, est per vsus seu rationes finales (§. 5. Schol.). Si vera esset illorum sententia, sequeretur, 1) Deum finem voluisse, et tamen vsus mediis facillioris primis parentibus interdixisse 2) produxisse Deum quidem ex coexistentibus vnum, quod primi parentes ad suas vtilitates iure atque merito referre potuissent, attamen prohibuisse, ut eo vterentur. Verum enim vero non nego, sententiam cl. CAMPEGII VITRINGAE praeter caeteras, quas tacitus praetereo, mihi se probasse. Iudiciosus hic verbi diuini interpres, cui nemo facile antefertur, pauci pares putantur, in hoc nomine, quod arbori fuit impositum, genitium scientiae boni et mali, per genitium obiecti ita explicat: arbor scientiae boni et mali i. e. sapientiae seu prudentiae exercendae obiectum, conf. illius *Observationes sacras Lib. IV. p. 1066.* His ex nostra tractatione quaedam



quaedam adiicio, quae expositionem *Vitringae* probabiliorē reddunt. Adamus atque Eua erant homines integri (per Theol. Reu.) per consequens satis instructi erant perfectionibus ad non peccandum (§. 7.) ad negligenda motiua actionis contraria (§. 35.) ad superanda bona adparentia (§. 17.) ad legitime faciendam exceptionem in collisione perfectionum (§. 40.) ad sapienter agendum (§. 42.) Arbor vetita ita describitur a Mose, eam fuisse *bonam ad esum, oculis valde concupiscibilem*, hinc poterat ab Eua referri ad utilitatem suam respectu naturae animalis (§. 5. et 3.) Serpens eam Euae repraesentat tanquam *desiderabilem ad consequendum intellectum*, repraesentat igitur eam, tanquam medium, quo Eua rationalem suam naturam simul perfectionem reddere posset (§. 5. 4.) ea repraesentatione tollere nititur collisionem perfectionum, et motiua actionis contraria (§. 13.) vult augere vehementiam et ardorem (§. 22.). Sed Eua, tanquam homo integer, bene sciebat, hanc arborem Deum ei interdixisse, non ignorabat, deum creasse ipsam, vt, tanquam creatura rationalis, dei perfectionibus pro motiuis actionum vtatur (§. 4. Schol.) hinc pro viribus, quas in creatione acceperat, facile collisionem harum perfectionum perspicere, et exceptionem legitime facere, suamque sapientiam ostendere potuisset. Ex his satis superque elucet, *a*) quod haec arbor vetita omnino, sicuti vult cl. Vitringa, obiectum exercendae sapientiae seu prudentiae vocari possit *b*) quod adhuc aliae rationes, cur deus hanc arborem solum inter coexistentia primis parentibus interdixerit praeter eas, quas cl. Vitringa loc. cit. attulit, adduci possint: ii nimirum vt suam praestantiam prae reliquis creaturis et facultates suas auersandi bona adparentia, et superandi motiua actionum contraria, ostenderent.

Schol. 2. Christus, satisfactor noster, adsumsit naturam humanam (per Theol. Reu.) nihil esset nunc facilius, quam applicatio antea dictorum ad hanc materiam. Eam non solum illustrare, verum etiam adhuc alias rationes, cur hominis potius, quam alius creaturae naturam Christus adsumserit, adducere possem, praeter eas, quae vulgo adduci solent. Viarum Dei causas indagare cuiuslibet creaturae rationalis officium est, praesertim vero Christiani, vt in rationes eorum inquirat, quae in regno gratiae fiunt. Ast, quia scriptis theologicis ista relinquenda esse, plerumque iudicatur; ea praetermittam, ne in alienam messem falcem immittere videar.

C

Schol.

2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.



Schol. 3. Homo consistit ex natura animali et rationali (§. 6.) homo igitur consistit ex natura elementorum, corporum, tam solidorum quam fluidorum, brutorum, atque spirituum. Cum vero aliae substantiae in mundo non dentur (per Cosm.) vides ergo, quare veteres *hominem* adpellauerint *Microcosmum*, et quod angeli minime ita vocari possint. (§. 11. Schol.) Aliae causae, cur veteres hominem ita adpellauerint, legi possunt apud *Io. Henr. Alstedium* in *Compendio Lexici philos.* et in specie in praef. *Analyseos mundi minoris*, p. 3078. fqq. et apud *Adamum Weinheimerum* in *scientia naturali mundi minoris* p. 133. vbi sequentia inuenio: Qui hominem, *μικροκόσμον* adpellarunt eundem appositisimo certe Epitheto insigniuerunt. Reuera enim homo Dei symbolum, et magnum Naturae miraculum, imo *totius mundi et omnium eius corporum elegantissimum* quoddam *compendium*, ac *veluti exemplar est*, non quidem reapse, ita, vt nihil reperiatur in mundo maiori, quod in minori non realiter reperiatur; sed 1) *ratione graduum entis*, quorum sunt quatuor, *esse, viuere, sentire, intelligere*. Siquidem ad vnum graduum horum necessario reuocatur, quicquid est in toto mundo. At omnes istos homo vnus in se complectitur: 2) *ratione perfectionum* etc. 3) *ratione ordinationis*. Propter hominem enim totus mundus factus est 4) *ratione constitutionis corporis humani*. Hoc enim totum mundum quodammodo repraesentat.



VIRO



VIRO IUVENI ORNATISSIMO
IOANNI CHRIST. GVIL. MEYERO

AVDITORI INDVSTRIO

FAVTORI AESTVMATISSIMO

S. P. D.

IOANNES PETRVS KEVSCH P. P. O.

H. T.

ACADEMIAE PRORECTOR.

Egregias animae dotes, quas TIBI natura faulrix concessit largissime, in nostra Salana laudabiliter collocatas ita explicuisti, vt aequalium atque commilitonum prouocares aemulationem: praeceptorum bonorumque omnium reportares adplausum. Meas quoque praelectiones et philosophicas et theologicas ea, qua par est, assiduitate ac attentione frequentasti. Quas quidem vitae rationes cum subduxeris: non poteras non mentem vario scientiarum adparatu locupletare. Cuius specimen vt in publicum proferres, disputationem elaborare atque in cathedra philosophica, sub praesidio Clariss. Dn. M. POLZII, ventilare instituisti. Quocunque igitur mentis oculos circumfero, gratulandi materia mihi obiicitur: quapropter gratulor Maxime Reuerendo Domino PARENTI, Ministro verbi diuini in ecclesia Engterensi fidelissimo, filium, qui ipsius expectationem ex asse impleuit: gratulor TIBI PARENTEM optimum, qui nihil omisit, quod faceret ad TE liberaliter educandum atque expoliendum: gratulor patriae bonum ciuem, mihiq; gratulor Auditorem, qui scientiarum litterarumque et fuit cupidissimus et capacissimus.

Vale resque TVAS age feliciter.

C 3

VIRO



V I R O

IUVVENI PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMOQUE
IOANNI CHRISTIANO GVILIELMO
M E I E R O

S. D. P.

P R A E S E S.

Quamquam improvīsa atque inopinata mihi, maximis laboribus iam impedito, fuit significatio, TE velle, vt meo auxilio, hanc doctrinam proprio Marte elaborares et tunc, me praeside, elaboratam defenderes; tamen scito haud iniucundam eam mihi fuisse. Gratum mihi fuit illud signum amoris, quod per hanc voluntatem dedisti, grata mihi semper erit amicitia, quam ea ratione TECUM iungere contigit, grata mihi est atque iucunda occasio, iterum cum iuvene doctissimo ornatissimoque in publicum certamen descendendi. Ex totius tractationis conspectu, quem TV mihi tradebas, ex sermonibus nostris et colloctionibus, quas mecum ea de re saepius habuisti, satis superque intellexi, naturam praeclaras animae dotes TIBI tribuisse, TEQUE eas egregie diligentia, studio, atque doctrinis expoliuisse. Gratulor TIBI hoc iuditionis specimen, gratulor PATRI maxime reuerendo de filio bonae indolis, gratulor patriae de ciue optimo. Nihil addo, nisi, vt abitus TVVS in Academiam Göttingensem sit faustus atque fortunatus, et vt amicitiam, quae est inter nos admodum nūpera, mihi absens conferuare velis. Ienae d. I. Apr.

A. O. R. CLO IO CCLII.

VIRO



VIRO IUVENI

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
SANCTIOR. DOCTRINAR. ET PHILOSOPH.
CVLTORI SOLLERTISSIMO

AVCTORI RESPONDENTI
DIGNISSIMO

^{S. P. D.}
I. C. TERLAHN Opp.
DÜSSELDORPIO-MONTANVS.

Specimen diligentiae editurus opponentis spartam mihi deferre non recusasti. Vnde vt et immortales TIBI agam gratias, et in tanto TIBI adplaudentium numero non retimus compaream, meum existimaui. Non enim in familiaritatem TVAM me iam dudum recepisti tantum, sed amicitiam quoque haud fucatam innumeris comprobasti testimoniis. Gaudeo honorigue mihi ducō, quod intima eiusmodi amici vtar familiaritate, qui omnium dignus est amore, tam propter singularem humanitatem, quam exquisitissimam eruditionem, quae ex elegantissima hac dissertatione luce effulget clarior. Gratulor itaque non verbis magis, quam vere et ex animo de tempore in hac Musarum sede optime collocato, nullus dubitans, quin et in posterum talem TE praebeas, qualem TE antea semper cognoui, tota, nimirum, mente omnique animi impetu in litteras incumbentem. Ceterum, cum in eo es, vt academiam hanc cum Georgia mutes Augusta, spero, mutationem loci nullam amicitiae mutationem esse illaturam; id quod de me TIBI persuadeas velim. Vale! Dabam Ienae Pridie

Calend. April. MDCCLII.

MOLTO



MOLTO ILLVSTRE SIGNORE
SIGNORE MIO ORNATISSIMO

La verità nascosa non è reuerita, e la verità appena scoperta hà i suoi maligni: perciò lo spírito il piu debole parla con somma confidenza del vero a cui l'incanuta antichità ha dato una stima spauentosa. Solo il sauió può incantare la nebbia del pregiudicio, egli, cerca, troua ed inalza la verità. Amico mio onoratissimo, mettendo oggi il piede sulla catedra, si monstra come un prudente il quale prende la difesa del vero scoperto, a cui il pregiudicio in nissun modo spaventa. La di lei lodevole diligenza, non chiusa, la condurra di grado in grado, all'onore communiato. E colla di lei prosperità si aumenterà il mio piacere. Permette V. S. che la nostra intrinseca amicitia accresca di giorno in giorno: così resteranno adimplete le preghiere, ed i voti di cui hà l'onore d'esser

di V. S.

SERVIDORE VMILISSIMO

ED AMICO VERO

ERNESTO GEORGIO WOEBEKINGIO


DI OSNABRYGA STVDIANTE DELLE LEGGI





Index.


1. Jo. Christ. Guil. Meijer (Prof. C. F. Polzic) Demonstratio hominem integrum, qui progreditur ad statum confirmatus in bono, nobiliorum esse eo perfectiorem creaturam bonis angelis.
2. Jo. Christ. Muller (Prof. Phil. Nic. Wolff) Demonstratio ex principiis rationis dari corpora Angelorum.
3. De eo quod nimium est circa Potentiam Diaboli restringendam. (Prog.)
4. Jo. Andr. Gottf. Schekelig de Vita humana, imprimis ejus brevitate hodierna hujus causis.
5. Jo. Frid. Rostor (Prof. Christ. Matth. Gaffio) de Somno Animarum post mortem, contra Dormitantes.
6. Jo. Nic. Seipius de Cultu Dei mechanico.
7. Nic. Nonner de Phrafi S. S. Timens Deum atq. Timor Dei.
8. a. Bernh. Frid. Luiffordius de Notione Filiorum & Filiorum Dei biblica.
b. ————— de Notione Filiorum Dei.
9. Christ. Matth. Gaffius de Moralitate, originibus & Finibus Sacrificiorum in genere.
10. Carl. Spenius de Institutis & Cerimoniis Legis Moysicae ante Moysen Continuatio h. Diff.
11. —————
12. Franc. Ulr. Ries de Anâ Foederis ejusq. Fatis & Significatione eorum mysticâ.
13. Lev. Henr. Seelhorpius de Termino Nativitatum V. T. ultimo.
14. Nic. Nonner de Sufficiâ armorum Israclitarum adversus Canaanos.
15. Jo. Christ. Gurgmann de Epochâ N. T. primâ intervallis discernendâ.
16. Jo. Aug. Walpergerus (Pr. S. S. Baumgarten) de Missione Christiana ad Dei verâ Indole, eorumque ^(ones vindictis) gressat. oppositi.
17. Frid. Aug. Schubarth (Prof. L. D.) de Immortalitate Christi & Christianorum.
18. Ad. Frid. Ern. Taub (Prof. S. G. Walch) de Apostolorum Peccatis actualibus.
19. Nic. Nonner de Diffidiis inter Vocatos Ex-Judaos & Ex-Paganos tempore Apostolorum.
20. Christ. Aug. Heumannus de Vocatione divinâ ad Ministerium ecclesiasticum.
21. Christ. Wih. Weisenborn (Pr. S. S. Baumgarten) de Veris signis Vocationis divinâ ad ministerium ecclesiasticum.
22. Joh. Phil. Frobenius de Prudentiâ pastorali ad signa hujus temporis composita.
23. Dav. Tonath. Clefs (Prof. C. H. Gaffio) de eo quod justum est circa recedenda vel retinenda delicta occulta, etiam ^(atrocia).
24. Jo. Christ. Guil. Meijeri Commentatio quâ sui Excommunicandi Ecclesiâ vindicatur.
25. Steph. Favorskian ^(Simplicius) de doctrinâ haereticorum noviter ab Ecclesiâ se ardentium, quem ~~Antichristum~~ ^{Antichristum} ~~Antichristum~~ ^{Antichristum} Georg. Berth. Bilfingerus, in latinum sermonem, translatus, examinavit & Notulis suis auxit.
26. Sam. Jo. Christ. Lampert (Prof. S. F. Hillero) de Obligatione ad Martyrium.
27. Joseph. Frid. Bando (Pr. S. S. Baumgarten) de Discrimine Virtutum aeternarum & carnalium post mortem.


~











ne virtutum aeternarum et cessantium etc. 35

eiusque speciebus Conf. excell. CARL. GOTTH. MVL-
bracceptorem pie veneror, in Philosophia Praef. Vniuers.

eciales quae forte adhuc distingui possent haud difficile ad
neratis referendae sunt.

§. XCII.

perfectio. Perfectionis magnitudinem consti-
et multitudo consentientium. In virtute con-
es DEI et libertas spirituum. Illae autem sunt
haec inter finita summum, summa igitur virtutis
er finitas.

§. XCIII.

statui nostro infert realitates, ergo voluptatem
abilem aut non; si prius, perfectio est vera.
nisi aeterna esset, rationem contineret taediorum,
eius cum statu nostro consentire nequit. Per-
terna.

obiectionem petit contra hunc §. 93. ex superioribus,
3. Ille cogitet 1) quod bona huius seculi sint modo hy-
1, quod ex ipsa eorum denominatione patet; hic autem
e loquimur absolute vera, nulli entis intelligentis statui
2) Quod omnia bona transitoria quibus proportionata
petitio, consecraria sua per totam durationem nostram

§. XCIV.

perfectio vera aut est finita, aut infinita. Prior,
i capax sit; nihil quoque sit sine rationata per
libet etiam illius consecrarium consentiat, haec
tione finita successiue existant, et consentienti-
augeant; Inde autem perfectionis magnitudo
sequitur quod perfectio vera finita sese semper
m. Perfectio finita, non praegnans, grauida,
a est perfectio vera.

apparens cum modo perfectionis speciem habeat per erro-
ue in se sit imperfectio; tandem in taedia degenerat, talis
tio hoc respectu admodum sterilis est, foecundum tamen
incipiam.

E 2

Perfe-

